IN FVNERE SER.MI D. D. VINCENTII GONZAGÆ MANTVÆ, AC MONTISFERRATI DVCIS

ORATIO.

HABITA AB ILL.MO D. COM: LVDOVICO Chieppio, eiusdem Celsitudinis intimo Cubiculario.



MANTVÆ, Apud Osannas fratres, Ducales Impressores, 1628.
Superiorum permissu.

ORATIO.



SI exundanti mœrori, Augustissime Dux, Serenissime Princeps, Auditores ornatissimi, æqua mihi adflueret eloquentiæ copia, dubitarem profectò minùs quìn & extremis erga Serenissimum VINCENTIVM Mantuæ Ducem obsequijs pio luctu consulerem, & debitarum optimo Principi laudum pari voto prosequerer encomia. Verùm quia obortæ lacrimæ vocis eneruant vires, ijsq́ue paulatìm increbrescentibus orandi plurimùm imminuitur facultas, summæ saltem, quod vnum licet, obseruantiæ adscribendum crediderim, si quæ ad tanti Principis funus celebrandum lectissimorum verborũ, optimarumq́; sententiarum non suppetunt ornamenta iustissimi doloris impendio persoluantur. Cum præcipuè meminerim Histrionem illum, qui in Sophoclæis proscenijs filij cineres gestauit fletu sibi natura concesso animos altiùs inuasisse, quàm si vllo artis lenocinio spectãtium aures permulsisset. Principibus Viris olim id honoris ha-

bitum audiuimus, qui in ipſo funebris pompæ apparatu ſatis luculenter laudati poſtridiè obitus ſui ab hominum memoria, quemadmodum ex Orbis huius aura euanuere; At Sereniſſimus noſter VINCENTIVS, quis dixerit immiſſo gemitu linguam meam obtundere, vt omnium veſtrûm animos in ſui deſiderium perenni exacuat recordatione? Reſpuit fortaſſe diſertas mortis querelas, qui moriendo nominis ſui vitam pluribus nominibus inſtaurauit, nec verbis fulciri ſtudet, qui tot rerum geſtarum innititur monumentis. Quod vero ampliſſimum hoc Theatrum ſuggeſtu perſpicuum excelſo, pullis atratum tegumentis, micantibus colluſtratum luminibus, varijs diſtinctum ſchematibus, ac tanta demum Ciuium frequentia refertiſſimum conſpicamini; neq; illum iccirco rebus hiſce putetis poſthumi honoris famam commendaſſe. Quid enim conſtructa Capitolia, quid ſpiranti ex marmore ſculpti Coloſſi, quid æra tam mira arte elaborata, quàm graui mole laborantia proprijs tandem aliquando obruta ruderibus, niſi temporis edaciſſimi teſtantur Tyrannidem? Cordis eligit prudentiſſimus Princeps tumulum non Mauſolæi, Artemiſiæ depoſcit pietatem non ædificij præſtantiam, mœroris excipit officia, & ſi orationis non contemnit obſequium. Hæc ſint, vt inquit ille, in ſubditorum

animis

animis Principi templa erecta, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ, nam quę saxo struuntur, si iudicium posterorũ in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. Tu, qui mihi hodierna luce præsentissimum Numen adesse sentio eò aure propensius, quò solio sublimius, vel adfectũ pectus enoda, vt orantis pro dignitate tanti consessus subeã munus, vel ijs omnino lacrimarum imbribus oculos irrora, vt maximam, quam de te fecimus iacturam, abundè satis queam complorare. Quod si vtrunque meritis tuis adhiberi iubes, patere vt suspiria facessant quantum de laudibus tuis cæptus sibi sermo vindicauerit. Verum enimvero quid prius in eo laudem? Quod Parentem habuerit non minus longo Auorum Principum ordine clarum, quàm suismet Virtutum titulis præstantissimum? cui parem nõ habuere elapsa tempora; elapsura frustra desiderabunt. Hinc siquidem modica illi gloria non redundat, verum cũ ipse per se satis elucescat, quid paternæ laudis repetuntur elogia? Illud minimè prætereundum, quod si aliqua fatorum industria ex Platonicorum sententia mortalibus indita nomina connascuntur, non nisi VINCENTIVS poterat nuncupari, quò VINCENTII Genitoris clementiæ, & liberalitatis, vt nominis ipsius foret ęmulus, & hęres, nisi potius id factum contigit, vt eum præ-
sens

ſens ætas non prius ſumma egregiorum operum faſtigia fęliciter aggreſſum cerneret, quàm fauſtiſſimo appellationis pręſagio VINCENTEM veneraretur; Ex ELEONORAE MEDICEAE pijſſimæ matris vberibus ſuxit pietatem, à qua optimè educatus, & in his, quæ ad DEI cultum attinent inſtituebatur, & quæ ad ſuorum vtilitatē, & gloriam populorum, nec amantiſſimæ Præceptricis animum fefellit, qui res conſentaneas, atque mutua ope nixas Religionem, & Pacem publicæ incolumitatis fulcimenta dictitabat, In ea quis VINCENTIO promtior? in hac quis vigilantior? Erga Beatiſſimam Dei Virginem Matrem tanto flagrauit ſpiritu VINCENTIVS, vt antelucanis horis ex eius laudibus nitidiorem longè auſpicaretur diem, quàm ex ipſo orientis Solis coruſcanti ſplendore, Ad tutiſſimum ipſius Aſylum terq;, quaterq; in grauioribus vitæ periculis confugit, vbi receptus, ac valetudini reſtitutus ſæpius quincto ab Vrbe lapide ad auguſtiſſimum eius Gratiarum templum, ſemel ad Lauretanas Aedes ſe contulit, concepta vota pijſſimè ſoluit, regijs vtrumquè locum muneribus auxit. O pietatem Principis incredibilem! Societatem multis ab hinc annis ſub mortis titulo inſtitutam in protectionem accepit, & ſi quando ſtatis maioris hebdomadę diebus publicè à ſodalibus fue-

rat

rat prodeundum nunquam ab alio insigne Crucis vexillum gestari est passus, nempè quod corde intus ferebat externo profitebatur exemplo. Eleemosinæ in mensem singulum auctiora destinauit stipendia, id thesauris suis adquiri putans, quod in Christi pauperes erogaret. Sancti Pauli decollati Clericos in Ciuitatem nuper admiserat, quibus etiam magnificentissimum Cœnobiũ iusserat fabricari, & fecisset profectò, vt alia plura, nisi ad visendum constructum sibi in Cœlestium delitiarum loco longe pulchrius ędificium festinasset. Cęterum sic pacis cultor fuit, vt armorum Disciplinam non adspernaretur; Primũ Militiæ Tyrocinium in Insubris bellis posuit, vbi tam strenue se gessit, vt ex Vercellensi obsidione adoream in primis memorabilem reportarit, Vnde non immeritò, & Italis eum præfecit Copijs Catholicus Hispaniarum Rex, & munifico censu exantlatos labores compensauit; Eam nihilominus otij dulcedinem, qua Maiores sui Populorum animos in GONZAGIACI nominis deuotionem pellexerant, totis viribus conatus est conseruare, adminiculo præsertim Iustitiæ, quam prudenter adeo singulis ministrabat, siue præmijs virtutem honestaret, siue pœnis vitia vlcisceretur, vt vniuerso Terrarum Orbi nedum vni angulo iura suo dare potuisset arbitrio, quo tamen

men non vſq; fretus ſelectiſſimum, & integritate, & ſapientia Miniſtrorum ordinem quotidie conſulebat, nequicquam ſibi ſapere permittens, quod ijs prægustatoribus ante placitum, probatumque non fuiſſet. Geſtit animus ad maiora transcendere, piget maxima præterire, niſi pro maximis ea à vobis habeantur, quæ de Principis huius liberalitate ſubnectam; cui familiare fuit non ad accipientis conditionẽ metiri beneficia, ſed ad largientis magnitudinẽ. Alexander ille, cui res actæ, & auctæ magni cognomentũ dedere à nemine munificẽtia ſuperatũ ſe iactitabat; præclare dictum, ſi virtutis indolem nõ vitiaſſet ambitio. VINCENTII præclarior ingenuitas, qua cui aliquid debuit ſe ei plurimum velle debere gloriabatur. Non aliunde auſpicatiſſimum Imperij ſui regimen exordiri voluit, quam ex iuſtiſſima in Populos ſuos liberalitate, non aliunde omnium animos ſibi deuincire. Huius rei teſtes ſunt exteri Principes in Vrbe hac noſtra regium in morem excepti, Teſtes eorum Legati, qui in ipſa Regni ineuntis gratulatione non tanta lætitia oppleti ex remotioribus Europæ partibus cõfluebant, quanta reuertebantur acceptorum munerum obligatione cumulati. Nec minora Virtutis huius ſpecimina, bis in Germaniam ſuſceptis itineribus antea demonſtrauerat, quaqua

enim

enim ab eo cōmeandū fuerat clementiſſimi expe-ctatione excipiebatur, munificentiſſimi adplauſu diſcedebat. In poſtrema profectione, qua ELEONORAE GONZAGAE fratrem ſe geſſit amantiſſimū, & Comitem præbuit vigilantiſſimū, nec Cæſar muneribus eius non capi potuit; ſicuti nanq; cęteris Aulæ Proceribus, & Miniſtris auri, argenti, gemmarumq; ingentem impertiuerat copiam Imperatorem quoque ipſum Sororis Auguſtiſſimæ, ac pulcherrimæ Virginis connubio in æternam locupletauit fęlicitatem. Quod laudis ſupereſt ſibi vindicat VINCENTII prudentia, qua vt viuens Ciuium ſuorum flexit habenas, ita iam morti proximus moderatoribus optimis tradere non eſt oblitus. Te CAROLVM arctiori ſibi ſanguinis neceſſitudine coniunctum, quem exoptatum Principem in præſentia veneramur ſucceſſorem maximè expetiuit, certo certius habens, eum, qui nutantis regni columen toties ſe exhibuit, Baſem quoque populorum ſuorum tranquillitati firmiſſimam extiturum. Hoc age Inuictiſſime Princeps, bellorum decorum puluerem abſterge, & Martis emeritus ſtipendijs Mineruæ oleam, ne dedigneris complecti; Non amplius eſt, quod vigilum ſtipatu, ſed quod ſubditorum tuorum deditiſſimis animis neſtoreos in annos ſecurus conquieſcas. Quæ diſcordiæ germina

fatalem Italiæ toti armorum ſegetem portendebant MARIAE GONZAGAE cũ filio tuo celebratæ nuptiæ ſucciderunt, Ita factum eſt, vt ex duorum conſenſu Orbis vniuerſi diſſenſiones in perpetuam pacem coaleſcant. Hæc tamen à VINCENTIO præuiſa ſunt, hæc vel in ipſo vitæ diſcrimine conſultius maturata, cuius quidem clementiam, & benignitatem non ſine turpi omiſerim diſſimulatione. Ea enim comitate, & animi mores, & corporis motus inoffenſa ſemper maieſtatis grauitate condijt, vt conſtantia, & fortitudine ſtabiliuit. Nullo fortunæ afflatu tollebatur, quo inſoleſceret, nullo deprimebatur incurſu, quo conſternaretur. Potuerunt membra tabeſcere collidi non potuit patientia, quæ eò firmior extitit, quòd diuinitus illi datam omnes arbitrantur. Morbi genus deteſtabile eo ſæuitiæ deuenerat, vt cruris totius marceſcentis carnem, & ignitis laminibus perfrixari, & exacutis nouaculis concidi oporteret, ne totus inuadentis luis contagio corriperetur; Ipſe tamen, nec animo minimùm perturbatus corporis ſui cruciatum, ni veriùs dixerim lanienam auide intuebatur, & pro verbis quibus animi ægritudinem lenire ſaltem fas erat Auguſtini ſententiam ſæpiùs repetebat, *Hìc vre, hìc ſeca, ne in æternum peream*. O inauditam fortitudinem! ò conſtan-

tiam

tiam commendabilem! Non ſatis habuit aureo diademate in terris exornari, niſi in Aſtris hac pene martyrij corona inſigniretur. Laborabat potiùs, quòd ſibi gloriæ gaudia videbantur differri, quàm quòd corporis valetudine deſtitueretur. Vidi ego, vidi hiſce oculis eum in ipſo mortis agone, cum inimicis luctantem, quoniam ab ipſorum verſutia non vſque tutum ſe dubitabat, fune, qua in Sancti FRANCISCI obſequium defunctus præcingi voluit manu arrepta collum quaſi monili aliquo communiſſe, & exinde veluti ſi ab hoſtibus luculentam retuliſſet victoriam, IESVM millies, quo poterat modo pronũciaſſe, ſic fęlix anima cum Sanctiſſimo IESV nomine emiſſa, ad IESVM conuolauit. Sed tardiuſcule aduerto, arduo nimis me in negotio periclitatum, qui maximi Principis laudes aggreſſus ad viuum exprimere vix vmbratili ſtylo vobis repreſentaui. Illud nihilominus me recreat, quod ſi gypſatis in parua tabella gyris immẽſi orbium ambitus captui noſtro coartantur, ex vngue, & planta, quæ vtinam à me graphicè, ſapienterq; forent delineatæ, Leo, & Hercules à prudentia, & eruditione veſtra poſſent coniectari.

VINCENTIO GONZAGÆ GLORIOSISS. PRINCIPI SVO VRBES.

MANTVA.

MINCIVS auratis modo qui fulgebat arenis,
Cui laurus cinxit non leuis alga caput.
Principe te rurſum priſcos aluiſſet olores,
Plaudere Virtuti vox quibus vna tuæ.
Auguſti ſed læta noui dum regna parantur,
Non timuit fauſtos mors temerare dies.
Optatis ſubÿt ſertis inuiſa Cupreſſus,
Proq; auro lacrimas mollior vrna dedit.
Soluuntur luctu celebrari digna triumpho,
Non olor illa canit, ſed dolor iſta capit.

CASALE.

AGGERE ſi cingor, ſpes concidit irrita Valli,
Milite ſi tutor, militis auſa ruunt.
Cum Duce deſtituar, cuius vel roboris aura
Hoſtiles potuit, perdomuiſſe minas.
Sed VINCENTIS adhuc fiducia nominis vna
In nullos supereſt interitura dies.
Fortis Alexandri quondam quoq; territa plauſu
Sic inimica phalanx vilia terga dedit.
Quid verear? me fata volunt ſeruarier illo
Nomine, quod Numen Poſteritatis erit.



ALBA POMPEIA.

EXIGVAM posuit Magnus me Conditor Vrbem;
Sorte sed ingenti fata dedere frui;
Gratia promta Ducum fuit, & mihi bellica Virtus
Et clarum omnigenis Artibus ingenium;
ALBA vocor, non digna prius magis Alba vocari,
Quàm cum VINCENTI iura benigna tuli.
Inuida sed renuit fortuna, & nomine verso
In lacrimas voluit gaudia versa fluant.
Ille etenim splendet radiatis ALBVS in astris,
Ipsa ego dum pompam funeris ATRA paro.

VRBS AQVENSIS.

POST diras belli clades, & iurgia Martis
Excidio vixi posthuma facta meo.
Spes tamen hæc nostris affulsit læta ruinis,
Te Duce, quod reduci pace beanda forem.
Tardius emerito tibi si patuisset Olympus,
Fluxissent missæ nec per inane preces.
Sic sperata quies, & Gentis splendor Auitæ,
Sic decus Imperij te moriente perit
O rerum inconstans, ò gloria fluxa! fluentes
Quam bene dant ipsum nomen, & omen AQVAE.

FINIS.